



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jacobi Alvarez de Paz Opera

De Vita Spirituali, Eivsque Perfectione - Libri quinque

Álvarez de Paz, Jacobo

Lvgdvni, 1611

Duodecim alia documenta ad consequendam perfectionem charitatis erga
proximum. Cap. xxxjx.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77833](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77833)

& sapiens vit nostri temporis: Nulli plus filiorum, quam lactis; nec plus negotiorum, quam virium esse debere. Sicut enim, quæ mulier plures filios, quam possit, lactat, & sibi, & illis non modicum affert detrimentum; sibi, quia vires exhaurit, & corpus extenuat; & filius, quibus minus sufficienter lac subministrans, eos imbecillos, & malè sanos educat: ita, qui negotia supra vires suscipit, & spiritum orationis euacuat, & nullum negotiū bene exequitur, sed multa incepta, aut cursim tractata derelinquit. Qua de re, sic loquitur Laurentius Iustinianus. Sunt multi, qui spiritus lenitate permoti, & inordinato feruore sub prætextu charitatis seducti adeo in exterioribus actionibus implicantur, vt de se nihil curare videantur. Diem quippe totum in his occupant, mentem dilaniant, corpus aiterunt, & spiritualia studia negligunt, sola temporalia cogitant. Istorum autem quale fuerit opus, exitus comprobabit. In diuinis namque legitur Scripturis, quod Moses cum ex Ægypto egressus esset, & absque intervallo causas populi occupatus audi ret, à Ietro suo cognato admonitus est, quod stulto labore, & vltra vires proprias desideret: cum minorā maioribus anteponeret, & plus debito in exterioribus se dilaret. Et quis Mose sanctior? quisve feruentior? qui à Deo dux populi Israel electus est? qui super omnes homines qui tunc morabatur in terra mirissimus? qui causas populi ardentissimo charitatis zelo iudicabat? vt audeat sine læsione persistere in eo, in quo sanctus propheta perseuerare nō valuit. Audito namque gentilis viri consilio, prudenter restinxit negotia proximorū, vt in iis, quæ Dei erāt, suo quietius vacaret tempore. Non enim sanctus propheta saniori dedignatus est acquiescere cōsilio: propter quod etiam plurimum profecisse dignoscitur.] Hanc verò negotiorum moderationem nō ita intelligas, velim, vt onera à sancta obediētia imposta debeas abicere, & tibi imperata reculare. Obedientia quippe, sancta, & prudens, cum sit, in religionibus bene instituta, & prudenter gubernatis, externos labores inter suos filios solertissimo iudicio distribuit, & neminē supra vires onerat. Quod verò hortamur, id est, vt quæ negotia tu, vel charitate instigante, vel alio bono fine mouente, sponte, & propria voluntate suscipis, prius diligenter circumspicias, & illa attentè perlustras. Vide inquam, an talia sint, quæ te nō opprimant, & (quod præcipuum est) scilicet studium propriæ perfectionis, haudquaquam impediāt.

Orationi & contemplationi diuinorum semper insiste: hanc, vt sponsam tenerimè dilige; vt dominam strenuè venerare, vt cibum, sine quo sustentari non poteris; vt vestem, sine qua nudus, & algidus eris; vt diuitias te replentes, & protegentes concipisce. Huius desiderium te summo manè ad vigilandum exsuscitet: huius amor te quietentem, & dormientem excipiat; huius studiū te vigilantē & aliquid operis facientem accendat. Habes temporis spatia manè, & vesperè orationi destinata, quæ ita diligenter custodias, vt nulla occupatio, nullum negotium, nulla necessitas illa surripiat. Si quando verò cōtingerit hoc tempus orationi donatum aliqua necessitate, aut obediētiæ occupationi abripi, sequens hora, aut certè alia eiusdem diei, quod huic sponsæ dilectissime oblatum est, sollicita cura restituat: Si enim consuetudo, & necessitas corporalis exigit, vt alimenta hora solita corpori non ingesta, in alium diem minimè protrahantur, sed quam primum fieri potest, naturali imbecillitati donentur: cur spiritualis necessitas, quæ maior est, eandē diligentiam nō requirit, vt scilicet orationis dulcissimus cibus animæ, cōsuetæ hora negatus, statim hora sequenti, aut certè alia eiusdem

A diei, sine vlla cunctatione ingeratur, & quo tardius, eò audiū, appetentiusque donetur? Non solum autem destinatis temporibus debes diligenter orationi vacare, sed etiam omnibus occupationibus & negotiis tuis sollicita circūspicione miscere. Illa quoduis opus incipiat, illa progressū operis comiteret; illa etiam operi finem imponat, adeo, vt quantum fieri poterit, vita tua non aliud sit, quam quædam indurpta & perseuerans oratio. Paulus ait: Sine intermissione orate; Nam oratio est, quæ vincit difficultates nostræ conuersioni aduersantes, & sustinet vitæ spiritualis exordia. Ipsa est, quæ profectus virtutum auget, & ad concupitam perfectionem prouehit. Ipsa deniq; præcipuum est perfectorum studium, quo (quia nunquam in hac vita ad supremum gradum perueniunt) mirabili modo crescunt, & quotidie in maioris puritatis gradum ascendunt.

B Hactandem sit, in omnibus, quæ egeris, tua sollicita cura, tua iugis occupatio, Deum aut extra te ipsum, aut intra te ipsum præsentem intueri, & purissimis desideris, sanctissimis colloquiis, & ignitis amoris affectibus, ad diuinam, & incomprehensibilem eius bonitatē aspirare. Nihil enim efficacius est ad peccata delenda, imperfectiones extirpandas, proteruiam humanæ naturæ molliendam, virtutes acquirēdas, & nostram mentem in Deum transformandam, quam hoc amoris exercitium, siue cum voluptate, siue cum mentis ariditate præstitū, quo potentissimè terrena fugimus, & in carne mortali quodammodo impassibiles, & caelestes efficitur. De hoc amoris studio Albertus magnus ita loquitur. Nō est ergo aliud, quod nos ab exterioribus sensibilibus intra nos, & ex inde in Iesu Christi intimā, & diuinā trahit, quam amor Christi, quam desiderium dulcedinis Christi ad sentiendum, percipiendum, & degustandum præsentiam diuinitatis Christi. Non itaq; aliud est, quā amoris vis, quæ etiam animā de terris ad fastigia cæli celsa perducit. Nec ad summam beatitudinem quis peruenire potest, nisi amore, & desiderio prouocāte. Ipse etiam amor est vita animæ, vestis nuptialis, & perfectio ipsius, in quo omnis lex, & Prophetæ. Vnde & Domini edictū pēdet. Vnde Apostolus ad Romanos plenitudo legis est dilectio. Et prima ad Timotheū: Finitis præcepti est charitas. Sed in his duobus orationis indurpta, & frequentium aspirationum postremis documētis sicut magna diligentia, ita maxima prudentia necessaria est; ne quis supra vires naturæ, & gratiæ sibi à Domino prærogatas operibus mentis, & affectus insistens, breui tempore caput lædat, pectus frangat, & corpus extenuet; ita vt nō possit vltra progredi, & cum magno damno suo, & aliorum detrimento (qui imprudentium indiscretionibus consideratis, fiunt negligentes, & pusillanimes) aut viam spiritualium exercitationum deserat (quod Diabolus impensè cupit, & indiscreto feruore consequi intendit,) aut certè (quod frequentissimè vidimus) in studio perfectionis incepte sciat.

Duodecim alia documenta ad consequendam perfectionem charitatis erga proximum.

CAPVT XXXIX.

A Ccipe nunc duodecim alia documenta, quæ mirificè tibi proderunt, vt cum Dei gratia perfectionem charitatis erga proximos assequaris, & duabus perfectionis partibus supradictis plenè & cumulare satisfacias.

Alluesce si a rem aspiceret non vt carnem, & san-

Lau. Iust.
lib. de dis-
cept. et
perfect.
monast.
cap. 11.

Exod. 18.

11.

1. Theof. 3

12.

Alb. lib.
de adha-
ren. Deo.
cap. 12.

Rom. 13.
10.
1. Tim.
15.

Genes. 1.

Ioann. 3.

Hebr. 1.

Apocal. 1.

Lau. Iust. in ligno vite de charitate, c. 15.

Bern. lib. meditat. cap. 1.

2.

Matt. 23.

Cassian. col. 16. c. 3.

3.

guinem, sed vt imaginem Dei, ab eo impense amaram atque dilectam: Fecit quippe Deus hominem ad imaginem, & similitudinem suam, dum illum intellectu, & libero arbitrio insigniuit, & donis ac virtutibus cohonestauit. Hanc imaginem Deus ipse valde charam habet, & sic dilexit eam, vt pro illa reformanda filium suum vnigenitum daret; vt scilicet omnibus qui credit in illum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Pro eius corporali obsequio, & spirituali auxilio, vniversum orbem tam decorum creatit, & Angelos ipsos creaturas nobilissimas hominis vilitati subiecit. Nam omnes sunt administratorij spiritus propter eos qui hereditatem capiunt salutis. Hanc eandem imaginem Christus filius Dei tam impense amat; vt pro ea vitam propriam dederit, & pretiosum sanguinem fuderit. Nam dilexit nos; & lauit nos a peccatis nostris in sanguine suo. Vide igitur an equum sit hanc Dei tui imaginem vilipendere, quae in templo calorum suo tempore collocabitur, & ab Angelis & sanctis honorabitur, & suspicietur. Vide, an cum ratione conueniat, eum odio habere, quem Deus infinite amat, eum auersari, quem Christus amore completitur. Noli, o homo (inquit Laurentius Iustinianus) tantum vilipendere amorem, tuumque contemnere fratrem. Propterea Dominus Iesus dominationi mortis se tradidit, vt ipsum a iugo diabolicae dominationis erueret: suscepit mortis seruitutem vt illi tribueret vitam aeternam liberatam. Non ergo despiciendus est, quem tam charum Dominus habuit. Non solum autem fratrem, sed etiam & respicere Dei imaginem esse cognosce: Et videbis oportere (auctore Bernardo) id quod ad imaginem est, cum imagine conuenire, & non in vacuum nomen imaginis participare, & representare in seipso imaginem Dei, in appetitu pacis, in intuitu veritatis, & in amore charitatis.

Attuefac animum tuum cogitare fratrem, non vt extraneum, sed vt fratrem, vt personam scilicet tibi coniunctissimam, cuius prosperitas, vel auersitas non est aliena, sed ad te valde spectat. Na si quisque naturaliter diligit fratrem carnalem; ab eodem secum patre, & ab eadem matre in fribus peccatorum progenitum, cur tu non diliges supernaturaliter fratrem spirituales, ab eadem matre sancta Ecclesia, & sancta religione, & ab eodem Patre Christo, tecum in sanctitatis splendoribus generatum? Si amorem excitat, habere vnum communem patrem, qui viliissimam, nec nominandam materiam ad nostri corporis coagmentationem administravit; cur non amorem excitabit, habere eundem communem patrem, qui nos secundum corpus, & animam fecit, a quo omnis paternitas in caelo, & in terra nominatur? Huic carnales parentes comparati, conseruentur plusquam extranei. Vnde ait Dominus: Et patrem nolite vobis vocare super terram, vnus est enim Pater vester, qui in caelis est. Non itaque vera fraternitas censeatur, qua ex vtero matris ad miseriam, ad peccata, & ad mortem sumus exortis, sed illa, qua ex Ecclesiae, & religionis gremio, ad laetitiam, ad merita, & ad vitam sumus progeniti. Hac enim est fraternitas vera atque indirupta, qua nec carne gignitur, nec morte dissoluitur, sed gemina amicorum perfectione (vt ait Cassianus) ac virtute concreuit; cuius semel initum foedus, nec desideriorum varietas, nec contentiosa dirumpet contrarietas voluntatum.]

Non aspicias fratrem, quantumuis molestum & auersum tibi, tamquam malum aliquod, aut iniuriam tibi afferentem, sed tamquam magna bona, & eximia gloriam adducentem. Si enim te amat, te laudat, tua commoditatem, & laetitiam, & honorem quaerit, te

A adiuuat, & in omnibus obsequitur; iam bonum vides, iam fructum capis, iam vilitatem experiris. Sin autem te odit; atque vituperat, & in omnibus contradicit, ne habeas oculos equorum, sive muscarum, qui sola externa, & visibilia conspiciunt, sed oculos Angelorum aut salutem hominum (homo enim es tu, & non brutum animal) qui sub molesta visibili, sub corporali auersitate, cumulum meritorum a fratre illo auerso allatorum considerent. Hoc documentum a Magno Basilio accepimus. Interrogatus enim, qua ratione aliquis charitatem aduersus proximum poterit obtinere, ita inter alia respondit. Si cum animo suo hoc modo cogitare institueris, quod videlicet, si frater ille bene de nobis meritus est, etiam humano more illi charitatem debemus: quam etiam gentiles seruauit, vt in Euangelio Dominus declarat, cum dicit: Et si diligitis eos, qui vos diligunt, quae vobis est gratia? Nam & peccatores diligentes se diligunt. Sin contra male meritus, & sic nihilominus, non solum propter mandatum, sed etiam vt maiorem in modum de nobis bene meritum debemus diligere, si modum credimus Domini vera esse verba illa: Beati estis cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum verbum aduersum vos, mentientes propter me: Gaudete, & exultate, quonia mercus vestra copiosa est in caelis.]

Quotiescumque aduersus fratrem malevolentiam, aut animi auersionem in animo tuo senseris, ne finas zizania callidi hostis arte seminata crescere, ne permittas vulnus illatum ab inimico callum obducere, sed statim medelam afferre cura. Hae autem ita adhibebur, si pro fratre diligentes te preces, orationesque iugiter Deo offeras. Vnde ait Dorotheus: Debes ita concertare, vt etiam caricarum omnem facias euanescere, atque ita locum vulneris expolire, vt nulla ibi deformitas relinquatur, nec aliquando reminiscaris, vulnus (intellige malevolentiam, aut iram) illuc extitisse. Quod si queras, quo pacto id facias, scito per orationem hoc maxime fieri, cum videlicet toto corde pro fratre supplicas, & dicis: Domine auxiliare mihi, & fratri meo per mutuas preces. Et sic supplicas pro fratre, augmentum praestas charitatis, compassio-nis, & humilitatis, dum scilicet fratrem precibus tibi quoque imploras auxilium. Medicinam itaque adhibes, si sagitta offensionis tuo corde infixam, a diuina potentia extrahi enixè postules: Item si, aut oblata vltro occasione, aut a te quaesita fratrem illum laudes, eiusque dicta, & facta tibi placere ostendas; si oculos laetos, vultum amabilem, frontem serenam, & tranquillum illi offeras; si eius conuictum non detrectes, nec conuersationem diffugas, sed cum silentij iura intiolabilia non obstant, vel illum benigne accersas si qualitas personae id ferat, vel dissimulanter adeas, vt cum illo de iis, quae incidunt, colloquaris. Hae sunt vnguenta, pretiosa quidem illa, & salutaria, quae auersionis plagam recenter inflatam salubriter leniunt, & ex plaga conceptum dolorem mitigant. Hac ratione paruulus efficietis, & illam comminationem euades Domini Saluatoris: Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum caelorum. Nam paruulus effectus es, si iniurias dissimulas, si ingratitude sustines, si tamquam nihil mali perpeclus fratrem ad antiquum colloquium, & ad pristina officia charitatis admittis. Paruulus inquam effectus es, non sensibus, sed malitia; infans factus es, non imbecillitate, sed sinceritate: Hanc autem infantiam Christus amat, quam primum (vt ait Leo Papa) & animo suscepit & corpore: Amat Christus infantiam humilitatis magistratam, innocentiae regulam, mansuetudinis formam. Amat Christus infantiam,

Basil. in reg. breu. interrog. 163.

Luc. 6.

Matt. 5.

4.

Dorothe.

Matt. 18.

Leo Papa serm. 2. Epiph.

que

quæ maiorum dirigit mores, ad quam senum reducit ætates, & eos ad suum inclinât exemplum, quos ad regnum sublimat æternum.] Et paulò infra. Non ergo ad lubrica infantia, & imperfecta nobis primordia redeundum est, sed aliquid, quod etiam graues annos deceat, inde sumendum est, velox commotionum transitus, citus ad pacem recursus. Nulla sit memoria offensionis, nulla cupiditas dignitatis. Amor sociæ dilectionis; & qualitas naturalis. Magnum enim bonum est nocere non nosse, & ad maligna nō sapere; quia inferre, ac referre iniuriā, mūdi huius prudentia est; nemini autē malum pro malo reddere Christiana est æquimitatis infantia.] Hanc nos infantiam amplectamur, qua super senes intelligimus: hanc pusillanimitatem sectemur, qua sine dubio erimus magnis, & robustis hominibus fortiores.

Ne cum aliquo, quantæcumque virtutis & sanctitatis fratre, nimiam familiaritatem habeas, & immoderatam amicitiam cōtrahas; hæc enim, quæ videtur esse charitas, non est re vera nisi tinca charitatis, exitium pacis, & pernicius totius virtutis; ac perfectionis. Si quem enim immoderatè diligis, eique imprudenter, & cum aliorū fratrum offensione adheres, illum certè non propter Deum, sed propter vilissimam aliquam eorum, quas supra recensuimus causam, amare cōiunxeris; & ita non veram charitatem, sed amoris passionem inordinatam, eamque profanā, & ab statu religionis alienā habes. Ex hac autem radice, qui rami germinent, attentus audi. Primū quidem illius, quem amamus iugis memoria, & assidua recordatio: magna autem obliuio Dei, quem cum non cogitamus, & oculis mentis inspicimus, non homines, sed bestia sumus. Deinde anxia cura, ne quid illi mali corporalis accidat, ne morbum, aut tristitiam, aut dedecus incurrat, etiam si spiritum obedientia, profectū mortificationis, & bonum perfectionis amittat. Rursum inutilia colloquia, consumptio temporis, non ad scurrilitates, non ad vanitates, nō ad detractiones, sed ad fletum, ad orationem, ad bona opera nobis concessi. Præterea scandalum aliorum fratrum, qui affectum tam immoderatum, & à vita religiosa alienum in fratre mirum in modum detestantur. Postremò alia demonis tendicula, alia cogitationes fortè minus pudicæ, alia desideria minus casta, de quibus, nec dilectionis sanctitas, quam scribimus, nec religiosus pudor patitur, vt magis clarè dicamus. Quæ autē hæc sint ex verbis B. Thomæ magni quidem Ecclesiæ luminis possumus non obscure colligere. O quantorum capita (inquit) insensibiliter facta sunt, & in quamdā periculosam insaniā inciderunt, quia sine sale discretionis etiam bonos homines dilexerunt; qui spiritu caperunt, & carne consummauerūt.] Fuge ergo huiusmodi pestem; declina à tam periculoso laqueo, abijce tam perniciosum amorem, qui mille suspiciones generat, offensiones aliorum nutrit, & omninò veræ charitati contradicit. Hæc enim, quæ suapte natura omnes diligit, vniuersos amicos, & inimicos amore cōplectitur, quomodo vno amico satiata omnes alios aspernabitur, atque excludet? Quæ piis omnium colloquiis gaudet, quo pacto non aliorum, sed istius tantum ineptis colloquiis delectatur? sanè hæc cui desunt propria charitatis, nō est vera charitas, sed inanis, & perniciosus amor. Omnes itaque generali quodam amore complectere, omnes æqualiter iuuare, ad colloquium admitte, eadem signa familiaritatis ostende; & si quem nimis amare decernis, iste non sit alius, quàm Christus sponsus tuus, in cuius amore quantumcumque crescas nunquam tamen supra debitum amabis, immò neque amandi obligationi satisfacies. Sed ne fortè celè immoderati amoris peri-

A cula, & tamquā seruus piger, & desidiosus, damner, qui talentum cognitionis apud me depositum negligenter abscondi; Laurentij Iustiniani de hac diaboli illusionē sententiam, in fine huius remedij subijcio. O quorū (inquit) sub specie charitatis seducuntur, & seducunt! O quanti simulata percunt dilectione! Heu quàm multi in principio purè & sine deceptione cōuersantes ex nimia familiaritate paulatim infecti in immane præcipitium dilapsi sunt, eo miserabilius, quò fœdius! Sub veræ charitatis namque prætextu in tales subintrat amor sensualitatis; aliter enim nequaquam decipi possent. Hic amor cum in corde imprudentis exortus, radices mittere, ac pullulare caperit, corporalem quærit dilecti præsentiam, eodem cohabitare, cum eodem loqui desiderat. Sicut autem ex ipsius gaudet aspectu, ita absentia contristatur; solus vult cum eo, quem sensualiter diligit, loqui, solus cum eo conuersari, quia in illius mente habitare iam caput. Liore quippe inuidiæ accenditur, si quempiam ab eodem diligi, & cum eodem conuersari perspexerit; absentiam etiam ipsius, magnam sibi delectationis iacturā existimat. Sicut enim amat singulariter, ita & amari vult, atque cæco seductus errore, ignorat se vesano amore percussum. Passione namque victus, ducitur inuitus; & à tyranno superatus ad opera carnis, quadam (vt sic dicam) necessitate abstractus, & illectus, ac intentione quadam latenter palliata, & polita seductus, vt suum valeat allequi appetitum Patrum ordinationes frangit, monasterij institutiones non obseruat, silentia partuipendit, orationem postponit, cellulæ secretam quietem negligit, & intus nihilominus stimulantē & vrentē conscientia, velut amens post suam totus trahitur concupiscentiam. De verbis, de actibus multis de cogitationibus obscenis tacendum est, quæ sub colore charitatis omnia ex inordinata paulatim familiaritate generantur. De talibus dicit Apostolus: Videte, ne cum spiritu cæperitis, carne consummimini.] Si autem adeò detestabilis est cum fratre aliquo nimia familiaritas; cum fœmina, quam erit fugienda, & detestanda? Certè qui in hoc circumspectionem non habent, valde insani sunt, & superbi, qui nec aliorum miserabiles calus considerant, neque periculo propriæ perditionis terrentur; & ibi securi incedunt, vbi Dauid, vir secundum cor Dei cecidit; & Salomon omnium sapiētissimus lapsus est. Habe te igitur cum omni fœmina (inquit sanctus

B Bonauentura) ac si maritus eius, vel Prælati inrer vos sederet, considerans, vel audiens omnia, quæ facitis, vel dicitis.] Hoc itaque documentum firmissimè custodi, vt amorem erga fœminas, quantumuis sub prætextu sanctitatis exoriatur, omninò respicias, & cum illis nihil amplius loquaris, quàm sacramentalis confessio, & status suarum animarum requirit. Erga homines verò non immoderatè afficiaris, sed omnes communi quodam amore diligas; sic enim & internam pacem, & animi tranquillitatem confernabis.

Si immoderato fratris amore fauciatum te senseris, ne de eius donis naturalibus, aut supernaturalibus credas magis tuæ cæcitati, quàm aliorum veritati. Tu enim passionis amore excæcatus es; alij autē ab hac passione liberi vident in eo, quem impensè amas, defectus virtutis, & humilitatis, quos non vides: Crede ergo magis aliis videntibus, quàm tibi crederes non videnti. Secundum autem aliorum consiliū, iudica rebus illius fratris, quem diligis; ex eorum præscripto illum lauda; ex eorum sententia illi occupationem, aut munus præscribe; ne extollas illum, vt tibi tuinam parer, aliis verò risui, & ludibrio habeatur. Si

Lau. Iust.
lib. de
scip. et
perfect.
m. n. a. f.
ca. 22.

Galat. 3.

Bonauent.
in inform.
matione
nouitiorū
p. 1. c. 39.

6.

tur. Si

D. Thom.
opus 6.
de dile.
ctione
proximi.
c. 1.

tur. Si hæc prætermiseris in te, & in cæteris magnam facies charitatis iacturam. Nam reliqui fratres laudationes nimias, fratris tibi charissimi ex te audientes, tantum abest, ut illum in maiori pretio habeant; quod potius & te, & eum aspernantur; te tamquam amore cæcum, & laudatorem mendacem, qui non veritate, sed passione moueris; illum verò tamquam illis laudibus, & encomiis indignum. Ex hoc autem contemptu, quid nisi auersiones animi, quid nisi obloquutiones, & detractiones exorientur? Si verò non solum illum tibi charum verbo laudes, sed etiam honore prosequaris, & dignitate super alios efferas, iam discordias generas, factiones suscitās inter eos, qui tuas partes agunt, & tuam voluntatem sequuntur, & eos, qui veritatem amant, meritum in Prælati requirunt, & sæculi fauores, & familiaritates in religione introductas derestantur. O quanta mala, & quanta calamitates religiosis caribus ex istis amicitias perniciosissimas euenerunt: dum scilicet illi, qui videntur aliquid esse suos amicos, & familiares, omnis prælationis protus indignos, aut certe minus dignos ad prælationem & dignitatem euehunt? Illi enim sic euecti, cum spiritu deuotionis, & diuinæ familiaritatis sint vacui, & prudentia in rebus gerendis non polleant, & humilitate, & instituti sui cognitione careant, quo pacto nisi imprudenter gubernabunt? Quid sibi nisi casum, quid subditis nisi ruinam & discordiam, quid secularibus nisi scandalum comparabunt? Væ tibi terra, cuius rex puer est, & cuius principes manè comedunt: Væ tibi religio, cuius Prælati puer est, non ætate, sed moribus, sed sensu, sed sermone spiritualium ignorantia: Væ tibi religiosa domus, cuius Præpositi manè non ad orationis studia, sed ad vanitatis colloquia & ad curas sæculares assurgunt, quia paulatim ex domo Dei domus negotiationis efficietur, imò & conuerteris in speluncam latronum. Væ tibi, sed multò magis væ illis, qui affectibus immoderatis obsequentes, & amori vano, & sæculari habenas laxantes, illos suos familiares in throno constituunt, qui nec sub aliorum pedibus esse debuerant: Veniet enim princeps pastorum, & suarum ouium stragem ab istis præfectis alati, de manu illorum, qui eos præfecerunt, requirit. Quoties ipse ego vidi (ait Richardus de sancto Victore) vidensque ingemui, impium super exaltatum, & eleuatum super cedros Libani? Quid quæso est, quod facitis, qui eiusmodi bruta, & bestialia corda in sublime attollitis, & velut in aëre suspenditis? Si verè eos diligitis, cur eis non parcitis? Quid quæso eis aliquid aliud, quam ruinam paratis, dum eos ad alta suspenditis, & quasi in ramis portatis? Quid aliud quisque suo sublimatori, vel potius subterfiori dicitur est in fine, in ipso confinio ruinæ; nisi: Quia eleuans allisti me? Conuerterentur volucres cæli in ramis, locumque teneant in summis; quos subleuat penna sanctitatis: Bestiæ sub ramis locum teneant in imis, & qui pronos vultus habent per appetitum carnis distractionem sentiant piæ severitatis, & iustæ humiliationis. Caue itaque nimias laudationes; vide ne amicis tuis præter ius & fas, quæras dignitates, quia id faciens, discordias in religione generabis, & pacem, charitatemque subuertes.

Ecc. 10.

Rich. li. de securitate conscientia. cap. 17.

7.

Despice res temporales, earumque amorem à corde penitus absconde; ne tu, qui pro Deo magnas diuitias, aut factu, aut desiderio, & expectatione reliquisti, pro rebus minimis, & nullius momenti turberis. Sapissimè res viles & abiectæ nimio desiderio concupitæ, solent pacem inter fratres euertere: & charitatē in discrimen adducere: ne itaque te turbent & fluctibus indignationis demergant, penitus adiciē-

dæ sunt. Erubescet, tu qui dona Dei possides, & Deum in fortem & hæreditatem speras, pro cella, pro sella, pro libello, pro codice, aut pro aliis similibus cum fratre cõtendere, & dilectionis bono, viliissima quæque præferre. In illis primis Christianæ fidei cultoribus erat cor vnum & anima vna] quare? nisi quia nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat? Nihil tamquam proprium possideas; omnia tamquam tibi à fratribus mutuata retineas; & ita cum postulerint, aut acceperint, non æstuas ira, quia non rem propriam, sed mutuo ad hoc vsque tempus datam sustuleris: Vbi meum & tuum (inquit Chrysostomus) illic omne litium genus & contentionis occasio; Vbi autem hæc non sunt, ibi secura versatur pax, & concordia.

A. 4.

Chry. vii. 33. in Genes.

8.

Ioh. 6.

Marr. 5. Bern. ser. 3. de reuerentia.

Vince propriam voluntatem, eamque subiice fratrum voluntati, & scabellum pedum suorum pone. Sicut enim Christus non venit facere voluntatem suam, sed eius qui misit eum Patris; ita tu non intrasti religionem ut tuis desideris, sed ut Domini voluntati deseruires. Tunc autem ei obsecundas, quando in bonis & honestis tuo voto & desiderio alterius præfers & exequeris voluntatem. Memento Domini esse mandatum: Esto consentiens aduersario tuo dum es in via cum illo. Si aduersario consentire debes, timore penæ, ne scilicet pro iniuria tibi illata tradat te iudici, & iudex tradat te ministro, & in carcerem mittaris; quanto magis debes consentire fratri amore iustitiæ, & desiderio charitatis? Sed scire aues, quæ sit propria voluntas, quam pro bono pacis tenèris deponere. Illa est (inquit Bernardus) quæ non est communis cum Deo & hominibus, sed tantum nostra: quando aliquid volumus non ad honorem Dei; non ad voluntatem fratrum, sed propter nosmetipsos facimus, non intendentes Deo placere, & prodesse fratribus, sed satisfacere propriis moribus animorum: Huic contraria est recta fronte charitas, quæ Deus est, & cætera. Et rectè inquit eam aduersari Deo est enim murus æneus inter Deum & nos, quam si reliquerimus, audacter dicemus: Quoniam in Deo meo transgrediar murum.]

Abnega proprium iudicium tuum, & ne nimis tuo iudicio fidas, nec tuis definitionibus acquiescas. Nam sicut inter carnales & imperfectos toller contentiosem suscitare immoderatus amor terrena substantia; ita inter perfectos, & spirituales viros iudiciorum, sensumque diuersitas consuevit generare discordiam. Hanc autem iudicij, intellectuque abnegationem vera cordis humilitate conquiret, si nimirum alios magis sapientes, magis expertos, te verò insipientem, & inexpertum reputaueris. An ne tu es solus homo, & tecum morietur sapientia? Et alius est cor, sicut & tibi, nec inferiores tui sunt: Quis enim eorum, hæc quæ nouisti, ignorat? Quoties in tuis rebus errasti? Quoties in aliorum negotiis deceptus es? Quoties ipse Satanas transfigurans se in angelum lucis te decipit; & quod antea vtile, & Deo placitum iudicasti, postea & minus gratum, & tibi noxium cognouisti? Cogita ergo, quod nunc quoque in his definitionibus erras, & te ipsum iudicio fratris submitte. Audi Paulum obnixè te, & nos omnes obsecrantem. Si qua (inquit) consolatio in Christo, si quod solatiu charitatis, si qua viscera misericordiationis, implete gaudium meum, ut idem sapiatis, eandem charitatem habentes, vnanimis id ipsum sentientes, nihil per contentionem, neque per inane gloriam, sed in humilitate superiores vobismet ipsis alterutrum arbitrantur.]

9. P. Gal. 17.

Iob. 12.

2. Cor. 11.

Philip. 2.

10.

Scito nihil esse tam magnum, tam vtile, aut pre-

tiosum,

zolum, quod bono charitatis, & concordia debeat anteponi. Vnde ita res extrinsecas facias, & negotia tibi commissa disponas, vt tamen fraternam charitatem non ledas; sed cum aliorum etiam omnium iactura illam conferues. Quando contigerit vllum vestrum (inquit Beatus Dorotheus) mitti à me in aliquod ministerium, videritque imminere vel perturbationem, vel damnum, amputet illud, abijciat, amoveat, nec vobis inuicem noceatis, sed pereat potius ministerium, nec fiat, dummodò inter vos non fiant turba. Meritò quidem vir sanctus hoc suis discipulis præcipiebat; nouerat enim munera aut negotia cum charitatis detrimento administrata, Domino Deo placere non posse.

11. Illud etiam tibi persuade, nulla causa, quantumuis iusta videatur, iram aduersus fratrem esse admittendam. Ira enim ex qualibet causa concepta, oculos mentis excæcat, mensuram in verbis non seruat, & boni pacis, & charitatis extinguit. Aduersus peccata tua iram salubrem admittes, illud Davidis adimplés: Irascimini, & nolite peccare; quæ dicitis in cordibus vestris, & in cubiculis vestris compungimini. Erga fratres verò cor placidum & quietum aut semper tenet, aut saltem tempus comprimens, exterius ostēde. Non solum autem iram in corde tuo, sed etiam in corde fratris consopire procura: quod occasione abscissione, humili satisfactione, & mansuetis verbis efficitur: æqualiter enim perniciofa est charitati, siue in vno, siue in altero duorum excitetur.

12. Non longam vitam tibi promittas, sed reputa te quam citissimè esse moriturum, & affuesces iniurias & molestias fratrum ea animi tranquillitate tolerare, quam sine dubio retineres in vltima hora cōstitutus. Itaque quæ dicuntur, aut geruntur, respice, ac si ad te nullatenus pertinerent: vnde neque eorum affectione, neque omissione turbaberis. Sex ista postrema remedia Ioannes Cassianus his breuissimis, sed grauissimis verbis edocuit. Prima igitur sunt in contemptu substantiæ mundialis, & omnium, quas habemus, rerum despectione fundamina. Per quam enim iniustum, atque impium est, si post abrenunciatam mundi, & omnium, quæ in eo sunt vanitatem, pretiosissimæ fratris dilectioni suppellex vilissima, quæ superfluit, præferatur. Secundum est, vt ita suas vniuersasque refecerit voluntates, ne sapientem, atque consultum esse se iudicans, suis malis, quam proximi definitionibus obedire. Tertium est, vt sciat omnia etiam, quæ vilia ac necessaria æstimat postponenda bono charitari, & pacis. Quartum, vt credat nec iustis, nec iniustis de causis penitus irascendum: Quantum vt aduersus se iracundiam fratris, etiam sine ratione conceptam, eodem modo, quo suam curare desideret, sciens æqualiter sibi perniciosam alterius esse tristitiam, ac si aduersus alium ipse moueatur, nisi eam quantum in se est, etiam de fratris mente depulerit. Postremum illud est, quod generaliter vitiorum omnium preceptorium esse non dubium est, vt se de hoc mundo credat quotidie migraturum. Quæ persuasio non solum nullam in corde tristitiam residere permittet, verum etiam vniuersos concupiscentiarum ac peccatorum omnium comprimet motus. Hæc igitur quicumque tenuerit, amaritudinem iræ, atque discordiæ, nec pati poterit, nec inferre. Si nos hæc documenta diligenter custodierimus, & nos ipsos, & nostras voluntates vicemur, facile diuinæ gratiæ augmentum promerebimur, quæ ex his ad charitatem perfectam, siue ad vitæ spiritualis perfectionem perueniemus.

A *Conclusio libri, et quis possit dici perfectus.*

CAPVT XL.

His quæ diximus, constat perfectionem spiritualis vitæ, in ea charitate consistere, quæ (prout possibile est in hac vita) omnes virtutes, & omnia bona in mentem iuferat, quibus homo efficitur bonus: & omnia vera mala, quibus homo efficitur malus, scilicet peccata, & vitia, depellat. Atque adeo perfectionem non vnum simplex bonum esse, sed multiplex animæ bonum, vel (vt verius dicam) omne eius bonum, quo redditur absolute bona. Licet enim sola perfecta charitas, quæ scilicet potens sit hominem omnino componere, & efficaciter ad rectitudinem reuocare, sit substantia perfectionis, non tamen est perfectionis integritas. Sed hæc (vt diuus Thomas sapienter ait) ex omnium vitiorum depulsione, & ex omnium virtutum cætu, cumulòque constat. Et quemadmodum solis nomen, non primum ac nobilissimum astrum vtecumque significat, sed vestitum luce, circumdatum radiis, & ornatum splendore: ita perfectionis appellatio in charitatem quadrat, non certè in quamcumque charitatem pusillam, sed in illam, à qua nebula imperfectionum discesserint, & quam dona cœlestia circumsteterint, auxilia gratiæ efficaciter ad sanctè viuendum cinxerint; virtutes exornauerint. Perfectio fons est, cuius principium est charitas, virtutes riuuli, qui à fonte permanant. Totum quoddam est, scuius caput est charitas; virtutes aliæ reliquas partes, & membra cōstituunt. Thesaurus animæ est, cuius præcipua gemma est charitas, & virtutes reliquæ in suo gradu ad thesaurum pertinere noscuntur. Sanitas est, cuius vis nobilissima est charitas, quæ à vita mentis, nempe à gratia procedens, potentiarum dominam voluntatem rectificat. Aliæ verò virtutes tanquam huius salutis partes, vel reliquas potentias fanat, vel propter alios actus ab amore distinctos, ipsam voluntatem afficiunt. Est ergo perfectio sublimissimum, ac præstantissimum donum Dei homini prærogatum, quo nulli vitio subiacet, & omne bonum virtutis habet, & veram mentis puritatem retinens, collum in omnibus diuinæ voluntati submittit. Quod donum primò & principaliter in charitate positum est, secundò & minùs præcipuè in omnibus aliis virtutibus, & earum solertissima exercitatione collocatum. Et eo quidem dono, vel potius donorum cumulo, Franciscus, Dominicus, Benedictus, Bernardus, Augustinus, Hieronymus, Stephanus, Laurentius, Petrus, & Paulus: & omnes alij (siue ad sexum masculinum, siue ad fœmineum pertinent) quos sanctos, & perfectos vocamus, fuerunt à Domino benignissima miseratione donati. Et ad idem donum consequendum anhelant, quotquot nunc in Ecclesia perfectionem sciunt, & veram mentis puritatem, ac sanctitatem exquirunt.

Quia verò certissimum est, & fide diuinitus immissa dictatum, semper sanctos & perfectos viros, in Ecclesia non solum fuisse sed & nunc esse, & in venturis quoque temporibus esse futuros (vna enim ex causis propter quas Ecclesia sancta dicitur, est quia sanctos habet, qui totius vitibus peccata fugiant, vitia damnant, affectibus prauis resistent) breuiter, quæ prolixè dicta sunt colligentes, ostendamus, quemnam sine vlla temeritatis, aut præsumptionis nota poterimus vocare perfectum. Mentè igitur fugamus hominem (& certè non fingimus, quoniam non paucos hæc à nobis dicenda præfates habet Ecclesia Dei) consideremus inquam hominem, qui vel à

pueritia

Dorothei.
doct. 4.

11.

Psal. 4.

12.

Cassi. col.
16. 6.

D. Tho. 2.
2. q. 184.
ar. 1. ad 1.